

1499  
*Ludovicus  
& Ascanius  
Sfortia ca-  
pti in Gal-  
liam perdu-  
cuntur.*

capto, Ascanius principesque civitatis permulti ex iis, qui Ludovici rebus favebant, una Mediolano aufugerunt Padum flumen versus, ut se in tutum reciperent. verum ab Soncino Benzonio turmæ equitum reipublicæ præfecto, qui id, quod re evenit, opinione existimans futurum, itinera observabat, in Cremonæ finibus intercepti sunt. Ascanius etiam Venetias adductus, in comitii turricula publice observatus est: pauloque post rege illum ab Senatu petente, septum custodibus in Galliam transmisit, quo antea Ludovicus perductus, custodiæquæ traditus, ea in custodia aliquot post annos est mortuus. Ea aestate, propterea quod Gaspar Severinas reliquique fratres Roberti liberi bellum contra rempublicam gesserant, Senatus consulto Cittadella oppidum receptum, & bona eorum fisco sunt addicta.

Sed Naupacto amissio, ut docuimus, Aloisium Manentium in Decemvirum collegio scribam, Senatus Byzantium ad regem misit questum, quod nulla lacepsitus injuria, pacem, quam paulo ante cum Zancanio legato firmaverat, bello terra marique illato violavisset: postulatumque ut mercatores Venetos, qui nihil delinquissent, quorum etiam adventu ejus portoria facta essent meliora, quos belli initio in vincula conjecterat, liberaret: Naupactum injusto bello captum reipublicæ restitueret: deum, si id nollet, pacem renovaret. Id autem ea de causa sibi tentandum Senatus decreverat, quod ab non nullis, qui plurimum apud regem poterant, spes ei proponebatur, fore, ut si legatum mitteret, pax inter ipsos conciliaretur: tum quod gravissimum civitati fore intellegebat, si classis eo etiam anno esset comparanda, contritis per tot bella non urbanis modo opibus, sed etiam provincialibus, republica insuper nihil prospere contra illum moliente. Nam cum Naupacto ab hostibus expugnato Cephallenem insulam capere primo Antonius, ut antea dictum est, deinde Zenus, postremo etiam Malchio classe adducta diurna oppugnatione tentavissent, labor tamen omnis omnium irritus & inanis fuit. Manentius

anni